

fero, quod hæc omnia quæ incomprehenso illi numini coram hominibus celare libuit, captum nostrum superent. Majestati potius divinæ gratias ago, quod ea in quibus verbum ejus viam salutis tradit, & è quibus tota lex & prophetæ pendent, unà cum aliis capere & intelligere possim. In quo inventa fessæ animæ requie, hoc unicum in mea indignitate Deum oro, ut cooptis per misericordiam lapsibus, ex infirmitate proficientibus, concedat mihi vivere secundum hanc voluntatem suam, tam simplicibus & indoctis quàm sapientibus revelatam. Subtiles quæstiones & mysteria, in quibus minimum intelligunt, qui maxime cognitionem illorum crepant, existimo non aliam ob causam Spiritum Dei sub velo haberi voluisse, nisi ut monstraret, Sapientiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum. Nam ita superba ingenia homines parum prudentes conturbarunt, ut quemadmodum olim in Philosophia, sic nunc in Theologia, nihil sit tam absurdum, quod aliqua secta pertinaciter non defendat. Atque adeo, si quis mecum absque omni partium studio omnes Theologorum controversias serio inspicere velit, nihil ex illis utilius resciscet, nihil certùs discet, quam in quo omnes conveniunt, & quod quilibet in Sacris Literis facile intelligere potest. Qualia sunt, Deum timendum esse, quamvis eum nullus mortalium viderit, nec ulla humana ratio Majestatis ejus comprehendæ capax sit: proximum